

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

Cl.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](#)

## C I.

INSTRUMENTUM TRANSACTIONIS INTER ABBA-  
TEM ET CONVENTUM S. BLASIJ ET H. JUNIO-  
REM, MARCHIONEM BADENSEM, SUPER  
MONTEM SAUSENBERG.

A N N O   M C C X X X I L

*Ex autographo S. Blasiano.*

**I**n nomine Patris & filii & Spiritus Sancti Amen! Nos Chunradus di-  
vina providentia Constant: Ecclesie Humilis Episcopus universis  
prefens scriptum intuentibus notitiam geste rei.

Ne labantur cum tempore, que geruntur in tempore, ideo per-  
quam necessarium est gesta scriptis memorie commendari. Noverint  
igitur tam presentes quam posteri quod nos de voluntate & consensu  
H. divina miseratione venerabilis Abbatis Sancti Blasij in nigra silva &  
sui conventus item seu controversiam, que vertebatur inter ipsos ex  
una, & H. Nobilem Marchionem juniores de Baden ex parte altera super  
monte, qui dicitur Sufinberg, sopiaimus in hunc modum, ut videlicet  
utraque pars juramento confirmaret, quicquid super dicta controversia  
statueremus, illud inviolabiliter sine contradictione qualibet observarent.  
Preceptum ergo, juramento prestito, tale fuit: ut primodictus Marchio  
cum uno ex tribus, qui coram nobis nominati fuerunt, ad presentiam

Domini Regis accederet, & super hac concordia, si posset, consensum Regium impetraret, & literis ipsius super hoc habitis ipsas Abbatii & Conventui presentaret. quibus habitis dictus Marchio dicto Abbatii & conventui premium situm in *Vringin* aut *Endingin*, vel si hoc habere non poterit, quod sit inter *Friburc* & *Rinveldin*, de quo sine dampnis & expensis duas Marchas argenti percipere possint, bona fide sine fraude conferat, & assignet, ab ipsis libere possidendum; & in eodem predio Advocatum, quem voluerint, eligendum. Istud autem premium an sit ad predictos reditus sufficiens, & in loco competenti situm, erit in arbitrio duarum personarum ab ipso Abbatie & Marchione eligendarum. Predictus Marchio sub eodem juramento promisit, ut nihil omnino de cetero preter servitium temporibus B. Ducis solitum per se vel per suos exigat vel percipiat de Curtibus ecclesiæ S. Blasij in Brisgaugia constitutis.

Quo rite completo Abbas & Conventus quandocunque predictus Marchio petierit, sine qualibet contradictione, cum omni cautela, quam voluerint, dicta lite cedat, renunciando omnibus actionibus tam realibus quam personalibus super dicto monte sibi aut suis Successoribus ab Abbatie vel suis Successoribus unquam de cetero fuscitandis ipsi Marchioni omne jus omnemque possessionem seu dominium, quod in sepe dicto monte habent, libere sine dolo & fraude conferant, & assignent. ut autem hec inconclusa permaneant, presentem cedulam sigilli nostri duximus munimine roborandam. Ego Abbas communicato fratrum meorum consilio sigillum meum appendo & consentio omnibus supradictis. Ego Marchio sigillum meum appendo, consentiens omnibus supra scriptis. Acta sunt hec apud Sanctum Blasium in Capella Sancti Johannis Bapti-

stæ. Anno Dominice Incarnationis MCCXXXII. X. Kalend: Julij Indictione V. presentibus his testibus ad hoc rogatis. H. Abbatæ Sancti Blasij. Arnoldo Priore. B. Hospitalario. H. Custode. H. Preposito in Zurigove. H. Preposito in Burgilon. H. Capellano. Monachis Sancti Blasij. Magistro Ortolfo Scolastico Constant. W. flore Canonico Thuricensi & Marchione. A. Nobili de Warte. H. Monacho Milite Basiliensi Olrico Plebano de Kilchdorf.

(L. S.)

(L. S.)

(L. S.)

(ooooooooooooooooooooo:)

## C I I.

LITERÆ BERTOLDI A TECK, EPISCOPI ARGENTINENSIS DE PUERIS B. M. MARCHIONIS IN TELAM SUAM RECEPTIS.

C I R C A   A N N U M   M C C X X X I I.

*Ex Archivo Bürgelenſi.*

**B.** Dei gratia Episcopus Argentinensis, omnibus hoc scriptum intuentibus salutem in vero salutari. Universitati vestræ præsentibus litteris significantur, quod Monasteria de Bürgelen & Sittenkilche cum bonis & hominibus eorundem, sicut & alia bona con-

fanguineo-